

Dissertatio medica inauguralis, de balneo ... / [Bartholomew Parr].

Contributors

Parr, Bartholomew, 1750-1810.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1773.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qtnq23t8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

I N A U G U R A L I S,

D E

B A L N E O:

Q U A M

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

P R O G R A D U D O C T O R A T U S,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

BARTHOLOMÆUS PARR,
BRITANNUS.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

*Haec sola placuerat esse remedia, parata vulgo et
sine impendio, inventu facilia, ex quibus vivi-*
mus. PLIN.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXIII.



317695

BARTHOLOMÆUS PARR

VIRO ILLUSTRISSIMO

THOMÆ GLASS, M. D.

APUD ISCAM DANMONIORUM

MEDICO CELEBERRIMO,

S.

Cum in Medicina tot tamque meritos assequutus sis Honores, cum de Balneis Veterum ipse tanta cum laude tractaveris; haud opus est ut exponam cur has Studiorum Primitias, TE AUSPICE, publicare lubet. Qualescunque sint, eas animi grati, TIBIQUE devinctissimi, tanquam pignus offerre volo, et tuo nomini inscribere. Vale.

Dabam Edinburgi, prid. Id. Junii,

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

BALNEO.

REMEDIA multum inter se discrepant. Alia qualitates prae se ferunt, unde concludere licet, auxilia fore utilissima. Alia, quamvis efficacissima, vix in se habere videntur quod ad tantas conciliandas mutationes sufficiat. Ad posteriora referenda sunt balnea; praesertim ea quae ex simplici constant aqua. Fluidum illud, etsi vulgatissimum, teste Hoffmanno, pro medicina universali jure haberi potest; utpote quod “ in omnibus individuis, omnibus morbosis affectionibus, tam internis quam externis, acutis et chronicis, tam incomparabi-

A

“ lem

“lem afferat opem, ut nulla alia medicina huic
“aequiparari possit.” Sunt et balnea quae ex
aqua mineris quibusdam imbuta constant. De
his, ubique terrarum scaturientibus, a viris in ar-
te medica eximiis sat superque dictum est; ne-
que ferrent hujus orationis limites, ut rem tam
variā et late patentem perscrutemur. De a-
quae simplicis calefactae, igitur, effectibus prae-
cipue differere fert animus; quibus rite consti-
tutis, de aliis facilius erit iudicium.

P A R S I. *De Balnei Effectibus.*

Effectus quos balneum in solida simplicia ex-
ferit, et secretiones quas auget, recte a plerisque
recensentur. Mutationes, vero, quas cordis ac-
tioni et corporis calori infert, minus accurate
traduntur. Veteres, qui balneo saepissime usi
sunt, circulationis sanguinis ignari, de pulsus ex
balneo mutatione nihil protulere. Caloris hu-
mani incrementum, varium quidem in diversis
hominibus, omisere, vel solummodo sensatione
fallaci metiti sunt. Medici nuperiores, qui huic
incubuerunt studio, pauca instituere experimenta.
Pauci, theoria quadam praeoccupati, hanc in-
gressi sunt viam. Alii huc spectantia experimen-
ta, neque caute instituta, neque iterata, protu-
lere.

lere. Primum, igitur, quae alii praebuere tradam : Dein, experimenta quaedam, summa cautela instituta, et in complures sanos saepe iterata, proferam.

Solidis simplicibus mollitiem et flexibilitatem conciliat balneum ; molem corporis adauget : Invenit enim Cl. de la Chappe, quod vestes, quibus prius indutus esset, ex balneo procedentem vix complecti potuere. Secretiones quaedam augentur, praecipue humoris perspirabilis et sudoris ; nonnunquam urinae et salivae ; teste etiam Hippocrate, muci narium et pulmonum : Neque, uti auctor est Keil, post sudorem balneo excitatum compefcitur perspiratio. Pulsus plenior et mollior evadit ; in quodam, incerto tamen, caloris gradu frequentior. De caloris humani incremento ex balneo nihil accurate dictum est ; forsan quod pro ratione aucti sanguinis circuitus augeri credebatur. Facies rubet ; venae manifestiores fiunt ; sequuntur debilitas, irritabilitas, et sensus acutiores.

Nos de immixtis in balneum sequentia praecipue observavimus. Cum calor in aqua ad gradum nonagesimum sextum thermometri Fahrenheitiani esset evectus, in aliis pulsus, mox ab introitu, paulo frequentior evadebat ; in aliis prorsus

fus naturalis perstabat : In iis quibus primo frequentior, post quinque minuta iterum naturalis fiebat, vel forsan paulo plenior et mollior. Cum ad pectus adscendisset aqua, saepius iterabatur respiratio ; post quinque minuta naturalis erat. Quidam, cum balneum jam introisset, tinnitu quodam aurium afficiebatur, moto capite praecipue molesto, mox autem evanescente. Post quindecim minuta, facies rubra et tumidiuscula, saltem plena, erat. Vasorum sub cute moles, five in partibus aqua immerfis, five in ipso vultu, nequaquam increfcebat : Et tantum aberant in experiundo versati, ut de vertigine vel anxietate conquerebantur, ut e contrario deliciis maximis annumerandas thermas contenderent. Calor corporis ab introitu paululum auctus, an pro ratione frequentiae pulsus, vix dictu facile erat ; mox naturalis reperta est. Perspiratio e balneo exeuntis augeri visa est, urina copiosior et limpidior mox excernebatur.

In aqua ad gradum nonagesimum octavum calente, pulsus frequentia paulum aucta, vix intra triginta minuta naturalis fiebat. Respiratio vix frequentior. Vultus tumor et rubor exiguus : Sudor nullus, etiamsi unctuosa et quasi oleo collita visa est faciei cutis. Calor corporis naturalis.

Cuticula

Cuticula corrugata ; anxietas nulla ; oppressio parva. Post egressum, pulsus minus frequens, quam ante in balneum descensum, visus erat. Urina nulla ; fudor nullus ; perspiratio autem copiosissima.

In calore graduum centum, pulsus frequentia paulatim aucta est ; adeo ut post viginti quinque minuta septuagesies et bis micaret, qui in statu naturali sexagesies in minuto micuerat. Plenior idem cito evadebat. Mox ab introitu respirationes fuere celeriores ; post quinque minuta facies tumida et rubra erat ; post decem minuta madebat, et mox sudore, vix autem copioso, profluebat. Vasorum moles vix augefcebat. Cuticula admodum corrugabatur ; post viginti minuta instabilitas quaedam aderat ; oculorum hebescebat acies ; calor corporis vix increfcebat ; thermometerum enim duorum incrementum graduum solummodo ostendebat. Post egressionem, pulsus frequentia sexies singulis minutis a statu naturali decrescebat. Calor pene naturalis ; instabilitas remota ; urina nulla ; perspirationem copiosissimam nullus sequebatur fudor.

Calore ad gradum centesimum secundum e-
vecto, pulsus multo frequentior erat ; post trigin-
ta minuta, centum vibrationes in minuto osten-
debat,

debat, cum aliter sexaginta et octo ostendisset. Plenissimus erat; facies multo magis rubra et tumidior erat. Post decem minuta, sudor coepit profluere, et mox guttatim in facie adstabat. Turgebant vasa; thermometer corpori applicatum, antea gradum nonagesimum octavum, nunc centesimum secundum, monstrabat. Cuticula vix rugosa; post semihoram levis supervenit vertigo. Sudor exeuntem, et inter pannos laneos depositum, exercebat multum. Carotidum per os petrosum repentium micationes intra decem minuta audiebantur. Pulsus plenissimus erat, sed vix post viginti minuta naturalis. Paulatim evanescabant tumor et rubor. Urina reddebatur nulla.

In calore graduum centum et quatuor, post viginti minuta, pulsus et calor tantum mutabantur, quantum in experimento proximo post semihoram. In extremis digitis micantes arteriae percipi poterant. Respiratio, cum ad thoracem ascendisset aqua, admodum laborabat. Maxime turgebant vasa; facies ruberrima erat. Difflebat sudor, et quasi in rivulis a facie descendebat. Cuticula laevis. Nulla aderat anxietas, vel oppressio; post viginti minuta, levis superveniens vertigo experimento subjectum a longiori mora deterruit.

deterruit. Corpus balneo exeuntis quasi sudore profluebat. Arteriarum in extremis digitis micationes mox desinebant. Calor et pulsus, paulatim diminuti, post quindecim minuta naturales fiebant. Urina excernebatur nulla. Sed per totum diem, ex motu levissimo, sudore profluebat corpus.

Ut ulterius progredieremur; etiam in calore centum et sex graduum experimentum institui-
mus, in quo calor aquae vix poterat perferri; post quindecim minuta, pulsus et calor tantum augebantur, quantum in experimento proximo post viginti minuta. Pulsus etiam plenissimus et fortissimus erat; admodum micabant carotides; sudoris pleni rivi e facie descendebant. Post quinque minuta, superveniebat vertigo, mox comitante confusione; et, post quindecim minuta, nausea syncopen minitans. Sudor copiosissimus corpus in lecto depositum exercebat. Calor post pauca minuta naturalis; pulsus frequentia primo paululum decrescebat; plenitudo crescebat; neque post viginti et quinque minuta mutabatur. Carotidum micationes primo auctae, mox imminuebantur, et post decem minuta evanescebant. Urina reddebatur nulla.

Omnibus

Om nibus experiundo versatis nihil accidit mali; post semihoram aëri, circiter sexaginta et octo gradus calenti, se exposuere.

Vix ulterius progrediendum fuit; nec forsan calore majori unquam necessarium erit uti. Ex his colligere possumus quinam effectus ex pediluvio et semicupio sint expectandi; qui, quo melius paterent, pauca de his etiam instituimus experimenta; quorum, en, summa.

Pulsus non tantum mutabatur, quantum in balneo ejusdem caloris universali. Calor corporis vix mutabatur. Cum ad gradum centesimum et quartum evectus esset aquae calor, tumebat et erubebat facies; in pedibus mox elevabantur vasa; vix tandem in manibus. Calore ulterius aucto, mox ex toto corpore profluebat sudor; quo absente, urina limpida, in ipsa nonnunquam pediluvii applicatione, excernebatur.

Nunc ad effectus, quos jam protulimus, explicandos progredimur; et mutationes quas balneum systemati infert, a quibus cadunt phaenomena, assequi conabimur. Et, primo, de mutationibus solido simplici illatis.

MUTATIONES SOLIDI SIMPLICIS. Vis illa emolliens, qua pollet balneum, explicatu certe difficilis est. Solidi simplici conditio ab aqua et materia

materia quadam alia concrefcente praecipue pendere videtur, et hujus quantitate aucta rigidior, illius autem flexibilior evadit. Invenit etiam Cl. Robinfon, in flexibilitate concilianda, aquam praecipue calidam maxima vi effe praeditam. Haec autem vis emolliens folam cuticulam poteft afficere ; vix enim conftat aquam per hanc, donec penitus mollita fuerit, nifi ab extremis abforbentium oris, poffe permanare.

Haec opinio variis fuffulciri argumentis poteft ; ad pauca confideranda folummodo procedemus. Cuticula aquae tranfeunti femper obftat ; faltem ferum fanguinis ne effluat prohibet ; in veficationibus enim, nifi data fit porta, tumorem exhibet. Finge autem aquam jam cuticulam praeteriiffe ; ulterius promananti membrana cellularis oleo repleta objicitur ; et, fi ad ligamenta tanta aquae copia transire poffit, nonnunquam impedita tumores certe exhiberet oedematofos. Articulorum igitur flexibilitas, balnei fequela, alio prorfus fonte cadere videtur, et forfan mutationibus vaforum, membranofis partibus inftimatorum, eft adfcribenda.

MUTATIONES SANGUINIS. Mutationes quae a balneo fanguini inferuntur duae funt : Tenui-

B

tas,

tas, et moles aucta ; unde, ut nonnullis visum est, auctae secretiones, tumor et rubor faciei.

Revera subesse tenuitatem vix inficias ibimus ; talis vero mutatio vix gravis vel diuturna erit. Quatenus ea ex balneo oritur, a duobus causis pendere potest : 1^{mo}, Ex aquae quantitate per absorbentia recepta. 2^{do}, Ex salina quadam materia per calorem putrefactionis processum augmentem evoluta. Ex prima vero causa nulla tenuitas diu manere potest, cum tot ex organis secretoriis hiant ora, et experimentis constat, cum vix aucta sit perspiratio, urinam copiosiore et limpidiorem excretam esse.

Hoc argumentum ulterius illustravit Thomas Simpson, vir in arte medica celeberrimus. “ Cum homo adolescens, febre correptus, cui accesserat diarrhoea, cum extremo stupore sensuum, nihil plane ore haurire vellet ; quanquam immoderato aestu totus torresceret, quo humectaretur, jubeo in aquam egelidam immergi pedes ; quo facto, protinus aquae mirum cerno in vase decrementum ; deinde ejusdem vixdum coloratae impetuosa, more cataractae, per anum effusionem.”

Ita vero ex balneo augeri putrefactionem, ut tenuior reddatur sanguis, dubitamus. A calore ad
gradum

gradum centesimum quadragesimum sextum T.F. lente aucto, sanguinem dissolutum per gingivas erupisse testantur Boerhaavius et Sauvagesius; et copiam saniei cujusdam olidae ex ore canis effluxisse. Hoc autem variat multum consuetudo. Invenit Cl. Tillet, puellam in calore magno saepe versatam, caloris gradum ducentesimum vicesimum passam esse; neque damna ulla inde percepisse. Sed, ut eousque evehi balnei calor minime potest; ita leviolem quandam mutationem auctae secretiones compensare valebunt. Nuperioribus enim innotescit experimentis, ipsas scorbuti causas ad morbum efficiendum vix sufficere, nisi simul cohibeatur perspiratio, qua materia salina continuo e corpore ejicitur.

Nunc autem quousque moles sanguinis ex balneo augeatur videamus. Cum corporis cujusvis molem adaugere visus sit calor, a simili in sanguinem effectu quicquid praestitit balneum cadere credebatur. Hanc opinionem, experimentis praecipue innixam, protulit Cl. Stevenson; majoris igitur momenti videtur esse quaestio quam si ex imaginatione creata mera esset hypothesis. Videamus autem an experimentis, an ratione adducti, ad veritatem pervenire possimus.

Quod

Quod ad expansilitatem attinet, duo in corporibus videntur esse status; unus quidem vis illa elastica per quam, calore dato, si removeatur pressus, ad renitendum proclive est corpus; alius vero vis expansilis per quam, pressu dato, si admoveatur calor, mole augetur corpus.

Si effectus caloris in diversa corpora agentis consideremus, in aliis vis expansilis magna, in aliis obscura esse, etiamsi sint elastica, videbitur; quoad expansilitatem, permultum inter se discrepant fluida. Spiritus vini et aether vi expansili praecipue gaudent; sed aqua, calore admoto, vix mole augeri invenitur. His omnibus rite consideratis, nulla lege generali in hac re cohibendus est calor; nec in ratione inversa cohaesionis, ut Sauvagesio visum est, sunt corpora expansilia. Calore enim dato, tantum mole augetur argentum vivum, quantum aether subtilissimus. Cum igitur ex analogia nihil de sanguinis expansilitate possit concludi; videamus an ex experimentis plus luminis affulgeat.

Experimenta quaedam de hac re instituere Sauvagesius et Hallerus; si illius experimentis fides sit, a calore graduum quadraginta ther. Reaumur. i. e. centum et octo Farenheit. sanguinis volumen vix centesima parte invenitur adauctum.

adauctum. Experimentis vero postea captis constat, sanguinis volumen in calore bullientis aquae vix ducentesima parte adaugeri. Haec enim habet ipse Sauvagesius : ‘ La plus grande chaleur de
‘ l’ air (scil. gradus centesimus duodecimus T. F.)
‘ a la quelle on attribue si souvent des grandes ra-
‘ refactions du sang, et ce qu’ on nomme une ple-
‘ thore fausse, ne peut rarefier le sang d’ une ma-
‘ niere sensible ; car, ayant exposé un thermome-
‘ tre plein de sang liquide a la chaleur de l’ eau
‘ successivement augmentée jusqu’ a l’ ebullition,
‘ le volume de sang n’ a augmentée d’ une ducen-
‘ tieme partie.’ Testatur etiam Hallerus, nullum omnino voluminis incrementum in sanguine apparuisse, etiamsi calor aquae bullientis calorem superaverat.

Ex his forsan concludere licet, nullam vim veram expansilem in sanguine inesse. Experimenta vero, nisi saepissime iterata, in periculum ducunt ; et, licet quam optime instituantur, quod ex illis concludamus saepe dubium est. Experimentis jam prolatis objiciuntur multa ; et vix de sanguinis natura, ab experimentis in sanguinem ex vena missum, quidquam accurate explorare possumus. In ipsa etenim missione pleraque a-
fugiant, et inter haec aëris elastici portio quae-
dam,

diam, ex qua forsan pendet expansibilitas. Agnoscendum tamen est, solam vim expansilem venas, ut in balneo cernuntur, tumidas vix reddere posse; ideoque vasorum moles aucta vi sanguinis elasticae, qua certe pollet, etiam tribuenda est. Sanguinis autem elasticitas non nisi mutato solido vitali potest manifestari, et ex tali mutatione phaenomena alia, a Cl. Stevenson prolata, explicanda veniunt; ad haec igitur transeamus.

MUTATIONES SOLIDI VITALIS. Cum autem partes nervosae, quae a balneo primum afficiuntur, tantum ab aliis distent partibus; quo modo illae ab his affici possint, primo considerandum est.

In extima corporis superficie scatent innumera absorbentium et exhalantium ora; et per totam cutim, tenui epidermide tecta, sparguntur vasa minima. Connectionem, vel, ut alii loqui amant, sympathiean nervosarum et sensilium partium cum his vasis esse, phaenomena pleraque demonstrant: Quandocunque enim dolor ventriculum vel intestina torquet, pori cutis, sive extrema vasorum ora, coarctantur, nec effluit halitus ille perspirabilis. Cum cutis, sudore adhuc exercente, improvide coarctatur, sive ab aëris, sive aquae, ad minorum gradum calentis applicatione, languet aeger, cibi fastidio

stidio urgetur, vix deliciarum varietate sollicitandus. Cum autem corpus profluere inceperit, hilaris frontem exporrigit, cibumque appetit. Plura alia hujusmodi connectionis exempla dedit Hoffmannus, ubi de damnis ex cohibita excretionem cuticulari agit; de his vero satis: Nunc ad rem ipsam progredimur.

Ex affusione aquae calidae cuticula et extrema absorbentium et exhalantium ora relaxantur; aquam enim vi maxima relaxanti gaudere notissimum est, etiamsi causa lateat. Cum penitus mollita sit cuticula, extremis etiam vasis applicantur lymphae. Sic relaxata vasa molem sanguinis adversam vix valebunt oppugnare. Haec in extima accidunt superficiei; ex sympathia vero alia vasa et ipsa vis animalis relaxantur. Hinc cuticula rugosa, pulsus mollior et plenior, venarum tumefactio quaedam, systema nervosum sensilius et debilius.

Haec a relaxatione oriuntur phaenomena. Relaxatio vero vix occurrit, nisi cordis et articularum contractio simul augeatur, quae praecipue a calore pendere videtur. Hinc pulsus frequentior evadit; tumet extima superficies, mox sudore copioso operiunda; urinae, salivae, mucique excretiones augentur. Calor corporis auctus
auctae

auctae cordis contractionis comes potius quam effectus esse videtur. Ex his enim experimentis apparet, calorem et pulsum nequaquam in eadem ratione augeri; et nonnunquam cum pulsu quam solet frequentiori calorem prorsus naturalem esse.

Respiratio laboriosa et iterata ab aëre in pulmonibus rarefacto pendet: Aër enim, cum a calore extraneo factus sit rarior, sanguinis per pulmones circulationem difficiliorem reddit. Hinc anxietas, ab iterata inspiratione solummodo mendenda.

P A R S II. *De Balnei Usu.*

A balnei in solida viva actione manifesto sunt effectus primarii. Effectus alii minoris sunt momenti, neque diuturni, neque graves. In morborum igitur medela, ex his nulla, ex illis vero quam maxima, expectanda sunt.

Vis, qua praecipue pollet aqua calida, est relaxans vel sedans; sed, calore aucto, stimulum quam maxime generalem praebet. Ab hoc igitur divisio primaria petenda est; et ex vi *sedanti* et *stimulanti* indicationes de balnei usu trahendae sunt.

C A P. I. *De Balnei, quatenus Sedantis, usu.*

Balneum, quatenus sedat, praecipue usurpatur, ut,

I. Extrema vasa, et inde totum systema, relaxentur.

II. Ad extimam superficiem, vel partes quibus praecipue applicatur, deriventur humores.

Per vim praecipue relaxantem, morbis ab imminuta irritabilitate, vel nimia fibrarum motricium contractione, pendentibus occurrit.

§ I. *De Balnei usu in morbis ab imminuta irritabilitate oriundis.*

MELANCHOLIA. Hoc morbo affecti temperamento peculiari gaudent, quod inde Melancholici nomen audit. In his rigent solida simplicia; crines nigri sunt; venae tument; impulsus difficulter recipiuntur, pertinaciter retinentur. Omnia haec forsan diminutae irritabilitati ascribenda sunt.

Antiquis, hoc aliaque omnia temperamenta ex humorum quorundam copia pendere opinatis, nequaquam assentire possumus, licet eidem opinioni accedat doctissimus Gaubius. Hanc utique in quaestionem inquirere forsan a re alienum foret.

Argumenta quae attulit Cel. Haller, nostrâ qui-

dem sententiâ, aliam stabiliunt opinionem; nec verosimile est notam in systemate peculiarem et diuturnam a fluidis pendere, quae in corpore continuo mutantur. Antiqui vero medici, huic innixi sententiae, balneo usi sunt, utpote ad humores evacuandos apto; ut apud Ætium videre est. Aquae tepidae solummodo, vel forsan ad gradum nonagesimum sextum calenti, aegrum diu insidere jubebant; unde major relaxatio solidis, tum simplicibus tum vitalibus, inducebatur; et testatur Alpinus, raras et molles carnes ad hujusce morbi curationem maxime conferre.

Cum hi qui hoc gaudent temperamento in effraenos erumpunt motus, hoc idem remedium bene cessisse visum est.

HYPOCHONDRIASIS. Melancholia, sed minori gradu, forsan efficit hypochondriasin; morbum temperamentis melancholicis infestum, et, uti auctor est eximius noster Gregorius, a balneo levandum.

§ II. *De Balnei usu in morbis a nimia fibrarum contractione pendentibus.*

In primis observandum est, hanc contractionem aut permanere constanter, aut cum relaxatione alternari; illa Spasmus, haec Convulsio nuncupatur.

cupatur. Gaubio autem assentimus : “ Perinde esse num eodem vel diversis nominibus utamur ; uterque enim affectus ad idem genus pertinet, partes easdem occupat, similes et causas et differentias agnoscit ; quin et haud raro alius in aliam transit.”

HYSTERIA et EPILEPSIA. Hi morbi sunt inter se admodum affines, cum easdem saepe agnoscant causas, pene eadem prae se ferant symptomata, et iisdem succurrantur remediis. Inter paroxysmos adest debilitas ; saeviente vero morbo, musculorum contractio augetur, sedativis solis compescenda ; hinc ad opium et aetherem, utrumque sedativum, confugiunt medici. In balneum etiam cum felicissimo successu demissi sunt aegri ; a quo cum instare videtur paroxysmus, ut ex Hoffmanno constat, levatur morbus. Testatur etiam Cl. Whytt, in hysteria vix pediluvio efficacius dari remedium.

Spasmi, de quibus jam egimus, Clonici dicuntur ; verum etiam in Tonicis, si interponi possit divisio, vix vi minori pollet balneum.

Hujusmodi sunt TETANUS ET TRISMUS, morbi ab omnibus nosologicis disjuncti ; qui tamen, si causas, symptomata, vel methodum spectemus, gradu solo differre videntur. Hi morbis summe periculosi

loſis annumerandi ſunt, et a primis medicinae temporibus exercuere multum et torſere animos medicorum, tam in pathologia exquirenda, quam in ſuſcipienda curatione.

Cauſae efficientes ſunt, vel perſpirationem cohibentia, vel acria quaedam, ſive ingeſta, ſive nervis extrinſecus admota. Modus autem quo ea morbum inducunt, vel qualis ſit tetano laborantibus ſtatus, obſcurus admodum et vix explicandus eſſe videtur; mufculorum quorundam certe contractio valida eſt, et cerebri ſtatus ſedativis vix compeſcendus. His igitur uti oportet in doſi magna, et ſaepe iterata; balneum etiam, ſive oleo ſive aqua conflatum, uſurparunt multi. Balneum Celfus multum commendavit, et Guilandinus virum tetano tentatum curavit immergendo in cadum olei totum. Albertinus etiam chemicum quendam tetano, ex veneno, laborantem, demiſit in oleum tepidum, et cito ceſſavit tetanus. Chalmers, in actis Londinenſibus, tetanum accuratiſſime deſcripſit, et ad curationem recte perficiendam opiata et balnea laudat. Si calida forte tempeſtas ſit, pulſus frequens, et calor hominis praeter naturam auctus, calor nonageſimi ſexti vel octavi gradus ſolet adhiberi. Cum autem tardus ſit pulſus, et calor corporis vix auctus, in
balneo

balneo gradus centesimus vel centesimus secundus potest usurpari.

De sudoribus in tetano dissentiunt medici. Funestum est sudare in tetano, ait Hippocrates. Jubent cohiberi sudores Aretaeus et Coeleus Aurelianus. Morgagni autem, postquam retulisset Valsalvae juvenem die tetani quinto obiisse, cum sudore plurimo qui per totum perfluxit morbum, addit: "Porro, multus sudor qui perpetuo in eo juvene perfluxit, num id levaminis attulit ut manus et pedes nonnihil movere coeperit?" Chalmers sudorem promovere jubet, nisi nimis sit profusus et pulsus frequens et contractus. Forfan autem melius judicavit Bontius, utiliorem fore sudorem, si morbus frigori successerit, cui temere calefactum corpus fuerit expositum.

FEBRES. Hi morbi frequentissimi, ut recentioribus quamplurimis visum est, a spasmo vasorum extremorum pendent. In primo enim stadio alget aeger, cutis contrahitur, detumescunt venae, cohibentur secretiones; in secundo, etiamsi fortis et validus sit pulsus, secretiones apparent nullae; quod ad vasa extrema sanguini aditum vix patere abunde demonstrat. At si balnei effectus recte exposuimus, ad hunc spasmum solvendum efficacissimum foret remedium, utpote

vasis

vasis ipsis applicatum. Febres vero continuas vix prius adesse novimus, quam augeatur calor, frequentius et fortius micent arteriae, aut frigeant partes extremae cum tremore, horrore, et algore. Ex stimulo igitur caloris quam plurima proveniunt mala.

In intermittentibus hora accessus innotescit, cui occurrendo a Celso fertur admodum convenisse balneum. Recentiores vero, cum apud privatos incommoda esset balnei applicatio, sudoriferis aliis cum successu usi sunt.

In febribus continuis etiam prodest balneum, ut satis liquebit, si nexum quem cum intermittentibus habent, et modum quo haec in illas transeant, consideremus. Cum jam decessura est intermittens, frigus mitius ante horam solitam accedit; citius finitur, et calori magis vehementi cedit, qui vix tandem sudore parvo terminatur. In tempore apyrexiae magis infirmus est aeger, pulsus frequens et plerumque debilis est. Haec series iterum recurrit, citius iterum accedit et recedit frigus, donec calor pene diuturnus relinquatur. In hoc, etiamsi nulla sit apyrexia, remissio quaedam semper potest observari. Si igitur tempore remissionis balneo ingreditur aeger, paroxysmus futurus forsan occurretur, vel sudor copiosus, et ad febrem termi-

nan-

nandam accommodatus, elicietur. Hujusmodi fuit balnei apud antiquos usus, in intermittentibus citior, in continuis ferior, ne cruda, ut aiebant, pro coctis evacuarentur. Ægyptii etiam balneo in febribus omnibus, tum intermittentibus tum continuis, familiarissime usi sunt; non tamen in initio, sed quando declinare inceperant. Testatur etiam Cullenus, (cujus officiis me quam maxime devinctum esse gratus confiteor et gaudeo), balneum in febrium initio, nequaquam tantos, ac in declinatione, exferere vires.

Nunc autem febrium species diligentius consideremus, et tempus etiam quo in his utile sit balneum.

In *synocha*, nisi prius tollatur diathesis phlogistica, nocet. Tertio autem vel quarto morbi die, pediluvio usus est eximius Whytt. Neque his vetandum est balneum qui delirio utcunque feroci vexantur; cujus signa sunt oculorum inflammatio, pulsus frequens et validus, totius faciei rubor insolitus: Caute tamen adhibendum est, et pedibus solis applicandum, vix ultra gradum nonagesimum sextum calefactum. Iterata vero experientia edoctus Cullenus, ex balneo in *synocha* minime insignes exspectat effectus; forsan quia

quia nocet stimulus, vel quia major est irritatio quam quae a balneo potest compesci.

In *typho* diversi prorsus est generis delirium. Jam praeterita vix reminiscitur aeger; in peregrino quodam loco se versari credit, praecipue si in tenebris locatur; lumine autem immisso, mens redit. Nono forsan vel decimo morbi die constanter delirat; non autem ut ira commotus, sed ut amens obscura quaedam muffitat: Stimulos demum neque urinae nec aliarum secretionum sentit. In hoc statu stimulus balnei, etiam si ad gradum centesimum quartum evehatur calor, vix est ex-timefcendus. Sed quoniam, si erigatur corpus, plerumque deficiunt animae, fotu ad crura et femora uti necesse est, in quo calor adhibeatur major: In nosocomio enim Edinensi, ubi ex fotu optimi observantur effectus, lacinii lanei, ut experientia inveni, plerumque ad gradum centesimum et vicesimum calent. Aquam vero ad gradum centesimum decimum calentem nequaquam perferre possunt pedes.

Cum hujusmodi delirium in *typho* occurrit, quam maxime prodest balneum; et, si semper res ita se habuisset, de balnei applicatione nunquam foret dubitandum. Sed non ita est: In ultimo enim *typhi* stadio mite hoc delirium, post duos vel tres dies, cum fortiori jungitur.
Hoc

Hoc in statu aeger in enormes erumpit motus; vox altior et velocior sonat; adstantes pugnis la-cessit; minisque hos insequitur, qui illum in lecto cohibent: Interea autem tremunt artus, subsiliunt tendines. Ex his signis inflammatione laborare cerebrum pro certo putares: Hanc tamen opinionem pleraque vetant; nonnunquam enim sine remediis inflammationis evanescit malum, et convalescit aeger. In hujusmodi etiam statu, ad opium eximii in arte viri confugiunt. Sed, si revera subest inflammatio, de balnei usu minime dubitandum est, calor nimius tantum vetandus est; si non subest, ulterius potest augeri, quo efficacius fiat remedium. In hujusce generis delirio, cum felicissimo successu, balneo usus est Cl. Gilchrist; per quod pulsus celeritas et frequentia imminuta est, sopitus aeger, lenis elicita diaphoresis.

In hoc ipso morbo utile est balneum, etiam si absit delirium. Cum per duas septimanas duraverit febris, plerumque ad caput determinatur sanguis, vix autem inflammationem vel delirium inferens. Hujusce determinationis signa talia sunt: Arteriae temporum valde pulsant; rubet et paululum turgēt facies; vasa tunicae adnatae insigniora fiunt; oculus ipse plenus. Hae tamen notae in quibusdam, etiam si adsit determinatio, non

apparent. Faciei est pallor horridus ; collapsi sunt oculi ; neque aliud extat signum, quam pervigilium constans, et cephalalgia. In hoc statu balneum, quod in vim animale[m] tanta vi pollet, utilissimum est. Balneum tamen nonnunquam non sine incommodo potest applicari ; quod ubi fit, fons est adhibendus. Credit Cl. Whytt fons minori pollere efficacia, quam pediluvium ; sed, in exemplis quae attulit vir ille illustris, fons erat prius applicatus, quo forsan paululum relaxatus spasmus, pediluvio facilius cesserit ; et, si vel nullas exseruisset vires fons, tamen, morbo recedente, majori cum successu balneum poterat applicari. Fatendum tamen est, sine summa cautela, id remedium aegro nociturum ; quippe enim stragulis communicatus vapor mox frigescens, vel diutius quam par est inhaerentes panni lanei, spasmum potius augent quam solvunt.

In summum, vero, concludendum est, febribus admodum convenire et balneum et fons, licet utrum praestet vix in liquido sit. Addit etiam Cl. noster Gregorius, stibio excepto, nullum esse remedium, in hujusmodi morbis usitatum, balneo efficacius.

EXANTHEMATA. Ob vim etiam sedantem, in exanthematibus prodest balneum. Haec enim, ut morbi

morbi febriles, a spasmo vasorum extremorum pendent, qui a balneo complacatur.

In *variolis* aeger vix in periculo est, nisi exoritur febris vehemens, per quam cohibetur perspiratio. Materiem omnem noxiam in pustulis non deponi, patebit, si medicamentorum, vel regiminis cujusdam, effectus consideremus: In uno enim homine variolis per insitionem affecto, si cohibetur vel in sudorem abit perspiratio, pustulae provenient quamplurimae. Sed, si in altero caute augeatur insensibilis illa evacuatio, pustulae in cute erunt paucissimae. Et ex nuperis hujus generis experimentis constat, perspirationem paululum auctam ad eliminandam materiem morificam aptissimam esse. Si vero, contra, haec excretio omnino cohibetur, vix evadunt aegri. Testatur Cl. Condamine, Indos, qui per totam vitam nudi incedunt, sylvarum incolae, et pigmentis crassorumque pinguum frequenti inunctione cutim defoedant, si variolis corripiantur, vix sanari posse.

In *variolis insitivis* forsan nec balneo nec ullo alio remedio opus est. Sed in variolis sponte naturae erumpentibus, febre adhuc saeviente, utilissimum est balneum. Testatus est quidam ingeniosissimus, auctore De Haen, supervacaneam omnino

omnino fore variolarum infitionem, si morbum tractandi methodus, ea quae in praesentiarum obtinet fortunatior, inveniretur. Et talis, ait, inter alia, e balnei usu pendet methodus. Petropoli enim inter 116,000 Russos, anno 1764, decem modo homines a variolis periere; “eo quod balneo vaporis, cutim mollissimam et transpirabilem reddente, in variolis utebantur quotidie.” In comitatu Arvensi, Hungariae Superioris, incolae variolas per balneum, primo aquae dulcis, postea vero feri lactis, feliciter curant; neque aliis utuntur remediis, nisi ut calorem in decumbenti paulo majorem conservent. Doctissimus D. Fischer, qui de hoc remedio domestico scribit, rationem recenset, qua variolosos tractaverat ad imitationem incolarum comitatus Arvensis. Cum enim apud Scepuenses grassarentur variolae, balneo usus est, cum regimine temperato; et ex iis quos tractavit fere omnes convaluerunt. Cujus curationis simplicitate elatus Cl. Fischer, credit, sic demum inventum esse remedium a Boerhaavio quaesitum, quod stimulum contagionis quasi vi specifica deleteret.

Eandem laudat praxin Cl. Huxham, praecipue in iis qui frigidae lavationi fuerint assuefacti. Et Dom. Stack, dissertationi inaugurali Leidae
evul-

evulgatae, pauca adjecit exempla, in quibus febres vehementes, variolas numerosas minitantes, optimo cum successu a balneo sopitae fuere. Horror etiam, anxietas, faciei detumescencia, et stridor dentium, quae omnia variolas retropulsas sequuntur, a balneo, per pauca minuta exhibito, levabantur.

Cum igitur tot et tanti viri hujus remedii usum maximis encomiis extulerint, vix ad objectiones Diemerbroek occurrendas nos accingere erit necessarium. Quicquid enim de hac re dici potest, jam dixit illustrissimus Van Swieten, et ipse Diemerbroek, dum balnei usum damnat, stimulantia et cardiaca laudat.

In hoc morbo forsan tepida pediluvium vel femicupia ad gradum centesimum T. F. utenda sunt, ut vitetur stimulus; et, si pustulae in extremis partibus forsan auctae fuerint, ea res nihil afferret mali.

In *peste* nihil ex balneo boni sperandum est. Veteres, grassante aliquo epidemico, hoc remedio nunquam usi sunt. Aegyptii balneum in febribus pestilentibus respuere. Saeviente adhuc febre, fudorifica alia feliciter exhibuit Sydenhamus, quae forsan magis ad occurrendum spasmus, quam ad materiem noxiam eliminandam, sunt utilia.

tilia. Etiamfi vero ad medelam morbi non accommodetur balneum, prophylaxi certissime favet. Illust. Chenot, qui de peste multa et praeclara protulit, “ in his, inquit, quos de hoc morbo suspectos habemus, lenis instituenda est diagnoe; ad quam recte perficiendam nullum magis idoneum vel efficax balneo datur remedium. Ante vero, intra, et post balneationem, juscula miti aromate ditia debent exhiberi.” Sequens adjecit exemplum in quo hujus remedii usus erat felicissimus. Filia viginti annos nata, peste correpta, morbum cum fratribus duobus et matre communicavit. Pueros ex medio sustulit morbus. Mater, bubone secundo die apparente, evasit. Duo liberi adhuc superstites, scil. puella septendecim et filius quinque annorum, balneo immerfi, mundis vestibus induti, et in aliam domum deducti, electuarius sudoriferum assumpserunt, et a praesenti periculo vindicati sunt.

Anne in aliis exanthematibus utile est balneum? Rubeolae, certe, si theoriae sit ulla fides, convenire videtur. Agnoscendum tamen est, experientiam, in tali investigatione ducem optimam, nihil certi de hac re statuiffe.

HÆMORRHAGIÆ sunt, ut jamdudum innuit Hoffmannus, activae vel passivae. In illis solis
utile

utile est balneum, utpote a spasmo et mutata sanguinis determinatione pendentibus. Illae sanguinis dissolutioni, aut corpori extraneo cuidam violenter admoto, debentur. In hujusmodi morbis adfunt horror, pulsus frequentia, extimarum partium refrigeratio, plethorae insignis notae in his partibus unde profluxurus est sanguis. Neque bene cedunt astringentia, si Hoffmanno credimus, priusquam spasmus, ex quo ceu causa proxima pendent, relaxatur, nimia motuum ferocia sedatur, et humores copiosius effluentes in alia loca derivantur. His omnibus, cum sublata est diathesis phlogistica, convenit balneum; et in tali statu, ab Hoffmanno bene cessisse fertur. Cavendum tamen est, ut aqua vix gradu nonagesimo sexto calidior ad pedes solummodo applicetur, ne vi stimulantis peccet. Actum agerem, si ad objectiones Cel. Stevenfon refutandas me accingerem, quae in effectu balneorum rarefaciente locum habent, quo minime, ut dictum est, valere reperiuntur. Et in calore quo uti volumus vix apparet ulla venarum distentio.

PHLEGMASIÆ. In phlegmasiis, si totum systema plecti et febris excitari videtur, balnei usus est ambiguus; magis enim vi stimulantis nocet, quam sedanti prodest. Idemque hoc remedium,

cum

cum de balnei usu in febribus agebatur, eo plus proficere, quo minus adfit inflammationis, diximus. Spasmus non modo in extremis totius corporis vasis existit, sed in quavis etiam parte spastica vasorum contractio est a distentione fluidorum oriunda. Hunc excipit impetus sanguinis universi auctus. Ex his, juxta Hoffmannum et Cullenum, quos sequimur, pendet inflammatio. Neque melius posset compesci hic spasmus, quam balnei usu, ni vetaret ex impetu aucto dolor.

Balneum in *phrenitide* suadet Trallianus, velut optimum ad somnos conciliandos remedium, si neque aer sit igneus, neque solium nimis calidum.

In *peripneumonia*, post sanguinis missionem, laudatur balneum, ut ad sputum eliciendum utile. Et jure forsan, si ex spasmo in excretoriis sputum fuerit cohibitum. Si vero urget dolor, ex motu corporis auctus, vesica aqua calida repleta majori cum fructu pectori imponitur, a qua vix mutatur pulsus, vel alia afferuntur incommoda.

Rheumatismo declinanti valde juvat balneum, incipienti, uti testis est Wintringham, nocet.

Ex

Ex his paucis exemplis videri licet, balneum in omni inflammatione caute utendum esse, neque unquam priusquam tollatur diathesis phlogistica; qua ablata, omnino sublatus plerumque videtur morbus. Si autem aliter se res habeat, notae extant nullae quibus talis morbi status pro certo potest dignosci. Cum vero sic incertus sit casus, incerta tentari non debent; nec praefigendum remediis est tempus, quod non certo praefixit natura. Satius est in individuis ejus ductum sequi; in quibus, etiamsi nihil certi in genere potest indicari, felicissimis avibus nonnunquam adhibetur balneum.

Ad corpus labore obrutum reficiendum, balneum semper adhibuerunt veteres; et si rite, quae fatigatis occurrunt, consideremus, iis balneum quam maxime accommodari videtur. Olim observavit Sanctorius, labore diuturno cohiberi perspirationem; hinc in extremis vasis inducetur spasmus, unde cutis arida, corporisque diminuta moles. Ea igitur omnia quae spasmum compescunt, corpori reficiendo erunt aptissima. Apud Turcos usurpatur praecipue opium; apud nos calidum theae infusum.

AMAENORRHOEA. Hic morbus duplex est. Imo, Enim, omnino absunt menses quo vitae studio

dio apparere debent. 2do, Apparent quidem, periodosque suas legitimas fervant, donec per causam aliquam, plerumque externam, cessant. Illa Emanatio, haec Suppressio mensium vocatur. De quibus in ordine dicetur.

In his plagis, menses plerumque circiter annum quartum decimum apparent, et dolore gravativo circa lumbos, forsan a sanguinis in utero conge-
stione, stipantur. Si enim vasorum uteri auge-
tur tensio, necesse est ut eadem in aliis etiam ap-
pareat partibus, five ex ipsius tensionis commu-
nicatione, five ex uteri sanguine repleti aucta
gravitate. Cum implentur et distenduntur vasa,
ab ea distentione oritur contractio quae sangui-
nem per fines arteriosos impellit. Obstacula igi-
tur quae haemorrhagiam possunt impedire, duo
sunt: 1mo, Vis motricis debilitas. 2do, Vaso-
rum praeter naturam resistantia. Si vis cordis
et arteriarum sit debilis, subest etiam in toto cor-
pore leucophlegmatia, ut loquuntur medici: Pal-
let cutis; detumescunt venae; corporis tumor
extat mollis; aegrae, vel non esuriunt, vel res
vix esculentas desiderant. In hoc statu nullus
est balneo locus. Cum vero ex vasorum rigidita-
te cohibetur fluxus, fibrae omnis tonus est for-
tis, et vehementissimi dolores in ventre exoriun-
tur; tum optimo cum successu usurpatur bal-
neum,

neum. Aquae calor vix gradum centesimum secundum superare oportet; et tali balneo diu insidere debent aegrotantes.

Rarissima est a debilitate mensium suppressio: Plerumque ex frigore, ira, vel terrore, oritur malum; quod, cum haec omnia spasmus gignunt, a balneo levabitur.

ILEUS. Hic est morbus quem intestinorum spasmus efficere videtur, ut suppressae foeces, vomitus stercoraceus, et tormina, ostendunt. Abdominis etiam muscoli praeter voluntatem et modum sunt contracti. Huic plerumque supervenit intestinorum inflammatio; siquidem Cl. Pringle intestina, in iis qui huic morbo subiere, gangraenosa deprehendit. Haec autem gangraena spasmi effectus, potius quam causa, videtur esse; nam in hujus mali initio nulla sunt inflammationis signa. Quod ad medelam attinet, venaesectione prius instituta, ut inflammationi occurratur, admodum juvat balneum; quod praestantissimis hujus morbi remediis annumerat Pringle; aitque Baglivi, dolorem colicum fere semper mittere in femicupio. Tanta quidem ad dolorem levandum pollet efficacia, ut novies inter diem in balneum descenderit mulier, quae ileo ex hernia laborabat*.

In

* Heberden in Aët. Lond,

In dolore, a CALCULO RENUM vel vesicae biliaris exorto, tantum levat balneum, ut vel opio majores exseruisse vires dicatur.

In TUSSI CONVULSIVA balneum prodesse testatur Hoffmannus. In tussi quadam singulari, quae vix convulsiva esse videbatur, etiamsi a spasmo certissime pendebat, adeo profecit balneum, ut vel ex ipso aquae contactu levatus fuerit paroxysmus. Hoc exemplum ab Illuf. Whytt accepimus.

Alius restat morbus, de quo dubitatur an ex spasmo proveniat, an non. Is est Cynanche stridula nosologicorum, Asthma spasmodicum Cl. Millar. In eo multae sunt inflammationis notae, nonnullae spasmi. Sed de natura morbi dissentiunt medici, et adhuc sub iudice lis est. Haec utique quaestio, etiamsi curiosa, parum nunc ad nos pertinet. Hoc morbo laborantes balnei ope nonnunquam levavit Cl. Rush, et quasi ex orci faucibus eripuit.

Haftenus de potestate balnei relaxante egimus; Usurpatur etiam balneum,

II. Ut ad extimam superficiem, vel partes quibus praecipue applicatur, humores deriventur.

Ob hanc vim praecipue utile est balneum in morbis, ubi acrimonia aliqua evacuanda est, vel
ad

ad partes quasdam major sanguinis copia derivanda.

§ I. *De Balnei usu in morbis ex Acrimonia aliqua pendentibus.*

MORBI CUTANEI. Acrimonia, quae in his occurrit morbis, ex perspiratione cohibita plerumque pendet. Evacuatio illa, quae Perspiratio insensibilis vocatur, est halitus; cum in forma sudoris exit, est fluida. Sub cuticula vero semper deponi videtur, et per hujus poros, forsan inorganicos, transmitti. Cum igitur post perspirationem suppressam ad cutem violenter devehitur sanguis, major sudoris copia effunditur, quam per cuticulae poros possit emitti. Hinc morbi cutanei plerumque poculis gelidis calido corpori ingestis debentur, et in hyeme, frigoris et caloris vicissitudinibus insigni, quasi epidemici grassantur.

Aliae sunt cutis defoedationes quae a fonte abditiori cadunt, et per totam manent vitam. Hae sunt lepra et elephantiasis, quae forsan acribus quibusdam continuo ingestis, vel epidermidis naturae singulari, debentur. Sed omnium horum morborum neque causae evidentes, neque symptomata

tomata certa sunt ; ideoque eorum medela minus accurate tradi potest. Insigni tamen cum fructu balneo usi sunt Aretaeus et Hoffmannus ; et in nosocomio Edinensi, uti mecum humanissime communicavit Cel. Hope, hunc morbum juvare visum est.

HYDROPHOBIA. Diversa prorsus acredo hunc efficit morbum. In ea perquam utile est balneum ; non ut constriction pharyngis tollatur, sed ut virus subtile eliminetur ; nam, licet abierit constriction, post paucos tamen dies aegrum tollit morbus. Et si a medicis quae exhibita sunt remedia spectemus, per ea perspirationem vel sudorem praecipue promoveri comperiemus. Nunquam balneum adhibuit Celsus, quin aegrum passus sit sudare, dum vires corporis fivere, aperto etiam vulnere, “quo,” ut ait, “virus magis distillaret.” Frigida etiam lavatio, qua toties usi sunt medici, rem eandem probat ; perspirationem enim praecipue promovet ; et ipse jubet Celsus ut protinus a piscina in aquam calidam demittatur aeger. Moschus et opium, quae tantopere in hoc morbo laudata sunt, ab Hilario dicuntur eo magis profecisse, quo plus sudoris moverint.

SYPHILIS ab acrimonia producitur, quae in quibusdam casibus a mercurio solo potest corrigi.

gi. Sed nonnunquam etiam per sudationem perficitur curatio, et semper ab iis, quae sudorem eliciendi habent potestatem, promovetur. Medici antiquiores, cum per glandulas salivares solummodo exitum veneno venereo patere existimarent, ab omnibus quae sanguinem ad cutim derivarint prorsus abhorrebant. Hodierni vero, ut melius per poros noxia eliminetur materia, ad balneum confugiunt; quo nihil melius mercurii operationem promovet. A medicis etiam Gallicis, apud quos primum excretio salivaris aucta inutilis existimabatur, ad morbi medelam quam maxime conferre balneum creditur.

§ II. *De Balnei usu in morbis ab inaequali sanguinis circuitu oriundis.*

DIARRHOEA raro febrilis est. Et, licet perspiratio occlusa videatur, raro spasmo vasorum extremorum stipatur. In hoc morbo igitur balneum prodesse debet; praecipue cum tanta sit connexio inter cutis et intestinorum glandulas, ut in constipatione maxime pertinaci, frigida in pedes affusa ad desidendum impellit aegrum.

Simili modo CATARRHUS jam inveteratus mutatae

tatae determinationi plerumque debetur, et tum calidis regionibus tum balneo levatur.

C A P. II. *De Balnei, quatenus stimulat, usu.*

Quatenus stimulat balneum, huic soli respondet indicationi,

I. Ut vim nervosam imminutam augeat.

PARALYSIS. Paralyfes sunt vel generales, vel partiales; id est, ipsum afficitur sensorium commune, et inde plectuntur muscoli; vel quorundam musculorum laeduntur nervi.

In paralyfi generali, de balnei usu dissentiunt medici. Si his credimus, admodum convenit; si illis, funestum est. Inter primos quibus arridet hoc remedium est Cl. Charleton, qui, ad suam suffulciendam sententiam, exempla plurima ex nosocomio Bathoniensi protulit. Contra contendit Ill. Mead, paralyfes complures balnei usu in apoplexias versas esse. Quam litem ut dirimamus, causas paralyseos generalis considerabimus.

Causae efficientes sunt, ea quae sanguinis copiam majorem ad caput derivant, in cerebri vasis rupturam, saltem feri effusionem, producturam. Aliae sedanti vi pollent, et mutationem quandam cerebro inferunt, cultro anatomico minime indagan-

gantam. Utrum vero haec in ipsam nervorum organizationem, an in ipsum fluidum agant, incertum est; cum vero effluvia nullam vim solidae nervorum compagi inferre queant, a fluido, quod inhaeret nervis, mutato, oritur forsan malum. Hinc facile videmus huic casui utile esse balneum, illi vero noxium. Videamus vero quare ratione hae duae species possunt dignosci.

Vix ab effusione procedit malum, ante mediam aetatem, scil. ante annum tricesimum quintum, occurrens. Nulla forsan est effusio, si nullae praegrediuntur plethorae notae, vertigo nulla, vel capitis gravedo; si nullae evacuationes suppressae fuere, five sanguineae five serosae; si venae non sunt manifestae; si nec capite magno nec collo brevi insignis sit aeger. Paralysis vero, ab effusione serosa olim oriunda, si per quosdam annos immutata manet, in mutatione fluido nervo illata consistere credenda est. Vix enim probabile est, tantum solummodo exhalare arterias, quantum absorbeant lymphatica. Haec notae vero nonnunquam absunt; et inde incertum est, utrum ex hac an ex illa pendeat causa morbus; ideoque cum hoc fit, cum cautela balneo uti oportet.

Paralyſis partialis compreſſo nervo vel venenis quibuſdam corpori ingeſtis debetur, et balneo curatur. Si vero dividitur nervus, vel ipſius muſculi laeditur organizatio, nec balneum, nec ulla alia juvabunt medicamenta.

RHEUMATISMUS CHRONICUS paralyſeos ſpecies eſſe videtur; quippe qui rheumatismus ſequitur acutum, in quo magnopere diſtenduntur vaſa, unde muſcularium fibrarum atonia oriri poteſt. Eodemque pertinet, quod partes affectae frigent, pallescunt, motu carent, et, dum ſudor alias exercet partes, arideſcunt. Et remedia, quae maxime paralyſi conveniunt, huic etiam accommodantur morbo.

CONTRACTURA. Ut artui contractio redderetur flexibilitas, plerumque balneo utimur. Quod ad ipſa ligamenta, vires emollientes nequaquam poſſe perferri, olim diximus. Ideoque, ut a vi ſtimulanti in hoc caſu exoriantur balnei commoda, neceſſe eſt. Quod quo clarius pateat, contracturae cauſas inveſtigare conabimur.

Ab ipſa ſenectute, vel a motus defectu, ortum ducit morbus. Mutationes quae hic obtinent, et contracturam cauſare poſſunt, tres ſunt: 1mo, Major materiae concreſcentis copia ipſi ligamento applicatur. 2do, Fibrae ſimplices tela cellulosa denſiori vel breviori conjunguntur.

3tio,

ztio, Vasa rigida, et inde per lympham sanguinis coagulabilem obturantur. Morbo huic, a primis duabus causis orto, nulla forsan opem possunt afferre. A vasis lymphæ obturatis frequentissime oritur; in senectute quidem, quia hoc vitæ tempore vasorum irritabilitas minor est. Et, si motus diminuatur, ut hujusmodi exoriretur morbus necesse est; nam vasa in ligamentis minutissima ipso motu stimulantur, et ad contractionem impelluntur. Utile igitur ad vasorum actionem augendam erit balneum. Huic enim rei perquam accommodari calorem, ex exemplis animalium quæ per totam hyemem dormiunt videmus, in quibus forsan similis occurrit mutatio. Armatis enim oculis vasa quasi lineæ nigrae deteguntur; si vero admoveatur calor, actio quaedam, minima tamen, in vasis primum observatur; hinc in puncta disrumpuntur lineæ, in fluidum jam evasurae.

P A R S. III. *De Balnei abusu.*

Medicamenta omnia quæ magnos præ se ferunt effectus, ob easdem causas etiam peccant: Nil enim

——prodest quod non laedere possit idem.

Cum

Cum igitur in viribus sedantibus et stimulantibus balnei usum posuimus ex iisdem quoque nasci abusus potest. Primo igitur de virium sedantium abusu, et quae five corporis five mentis conditiones ab iis laedantur, dicendum.

Relaxato corpori, cum nullus sit spasmus, nocet; ideoque chlorosi et amenorrhoeae, quae a debilitate pendet. Ob eandem etiam causam nec in scorbuto recte adhibetur.

Licet vero adfit spasmus, nimius tamen balnei usus, vel nimius calor, noxius fit. In tetano et hysteria, major justo calor plerumque delirium infert. Item in peste, et febribus summa sanguinis putredine stipatis, male balneum agit, praecipue si ultra quam par est urgetur calor.

Cavendum etiam est, ne nimia diaphoresi resolvatur corpus, vel sudore prorsus diffluat; unde animi deliquium, capitis dolor, lassitudo totius corporis, oris siccitas, et sitis subsequuntur.

Haec a vi sedanti accidunt mala: Ex vi vero stimulanti grandiora oriuntur. Hinc Galeni monitum, ne qui balneantur ullum viscus imbecille habeant. Unde in febre hectica, plerumque suppurationem pulmonis comitante, nocet balneum. His etiam nocet balneum qui in regionibus calidis vitam degerunt, et spirituosius indulserunt poculis;

culis ; eo quod plerumque horum jecur pertinaci schirro laborat. Praecipit etiam Galenus, ut nulla adsint in primis viis cruda ; igitur statim ex epulis nunquam usurpandum est balneum. Romani, priusquam increbuit luxuria, ante coenam balneum semper ingressi sunt. Postea vero, vix finita coenarum coctione, ad balnea confugere. Ait Juvenalis, Romanorum mores acriter lacerans,

Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.

Inde etiam Horatianum illud,

———crudi tumidique lavamur.

Potestatis etiam stimulantis metu, nimio calori nequaquam indulgere debent ii qui haemorrhagiis obnoxii sunt, vel in utero gerunt. Testatur etiam Hoffmannus, ex balneo post iram usurpato hecticas febres et immedicabiles partium dolores occepisse.

Alia restat cautela, Quod a balneo abstineant ii qui asthma laborant, vel olim laboraverint ; Neque injuria ; aër enim in pectore rarefactus iteratam inducit inspirationem, ut jam monstrare conati sumus ; et omnibus innotescit, fibras debiles ex violento motu praeter modum solitum plerumque fieri contractas.

P A R S IV. *De Balnei administratione.*

Paucula restant de balnei administratione: Et cum in tantam longitudinem protrahitur haecce dissertatio, de iis solis quae cura praecipue digna sunt, et ad aegrorum salutem maxime conferunt, loquemur.

Quae ante balneationem sint apprime necessaria, olim monstravimus, scil. diathesin phlogisticam debere amoveri; eliminarique ex intestinis ea quae cruda sunt; atque balneum minus febribus prodesse, si adhibetur priusquam morbus declinare inceperit.

In ipso balneo, si sedantes optamus vires, vix in primis augeri debet calor ultra gradum nonagesimum octavum vel centesimum. Aeger in balneo recumbat, capite paululum elevato, nec eo exeat inter horam unam, vel, in nonnullis casibus, secundam. Si vero pro stimulo balneo utimur, ad summum gradum calor subito evehendus est. Calorem ultra gradum centesimum sextum vix in initio sustinere poterit aeger; sed idem sensim augeri potest, et in eo detineri debet donec nausea vel instabilitate quadam coeperit tentari.

Quod

Quod ad ea attinet quae balneo exeunti facienda sunt; si spasmo occurrendum est, vel noxia quaedam eliminanda materia, in lecto inter pannos laneos deponatur aeger, ut sudet. Quod si hi ingrati sunt, vestimentis linteis operiatur, facpissime, si frigescant, mutandis. Nec a linteorum bene calentium mutatione incommoda oriuntur ulla. Vestimenta vero ex gossypio utrorumque commoda possidere videntur.

Ad umbilicum tandem deductum est opus, ad unguem minime politum. Hoc quidem vetuit imperitia, vetuere materiae tractandae difficultas et moles. Si quid profeci, clarissimis hujusce Academiae Professoribus id omne tribuendum lubens agnosco; quibus, ut habeo, ita in aeternum, pro virili, agam gratias. Horum vero unum e medio sublatum adhuc lugemus! virum summa humanitate, summa doctrina, insignem; GREGORIUM dico, quem hic commemorasse faterit; ecquid enim meritis ejus nostrove respondeat moerori?

His saltem accumulem donis et fungar inani
Munere.

F I N I S.

